



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quomodo Theodosius imperator hæresim Nestorij abegerit. Cap. XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

illorum Phallos, Ithyphallos, Phallagogia, maximumq; illud Priapum, & Pana turpi membro honoratum, & mysteria in Eleusine celebrata, ob unam rem solum laudanda, quæ ea Sol non videt, sed in tenebris peragenda decernuntur. Verum istis, qui turpiter & colunt & coluntur, relictis, redeamus, unde digressi sumus, & reliquam partem imperij Theodosij omnium quasi oculis subijciamus.

Quomodo Theodosius imperator hæresim Nestorij abegerit. Cap. XII.

Primo admodum decretum à Theodosio scriptum est, & positum in libro Iustiniani, qui codex dicitur, lege tertia primi tituli: quo quidem Nestorium, cuius amore ac de Syderio olim, sicut idem ipse scribit Nestorius, admodum tenebatur, diuina impulsione ad id incitatus, omnibus, ut dicitur, calculis condemnauit, eique denunciauit anathema. Sic enim scribit. Item decernimus ut qui impiam fidem sectentur Nestorij, aut nefariæ eius doctrinæ obtemperent, si episcopi fuerint, à sanctis ecclesijs eiiciantur, si laici, denentur anathemate. Extant aliæ leges ab eo pro nostra religione editæ, quæ ardens illius erga eam studium perspicue declarant.

De sancto Symeone qui columnam incolebat. Caput XIII.

Eisdem temporibus floruit, inque magna gloria fuit Symeones, vir & insignis pietatis, & memoriæ p̄celebris: hic primus stationem in columna instituit, domiciliūq; in ea, cuius mensura vix duos continebat cubitos, construxit. Per idem tempus Dominus Antiochenum procurauit episcopatum: qui ubi venit ad Symeonem, mansionem & rationem viuendi admiratus, ea quæ apud illum secretiora erant cognoscere valde cupiebat. Ambo igitur simul ingrediuntur, & puro Christi corpore consecrato, vitalem inter se mutuò participant communionem. Iste Symeones vitam cœlestium potestatum in carne æmulatus, se à rebus terrenis abstrahere laborauit, vim afferre naturæ, quæ solet suo pte nutu deorsum ferri, res in sublimi locatas persequi: & inter cœlum & res terrestres quasi medius interiectus, cum

Deo